ACTA
APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ANNUS III. - VOLUMEN III.



ARCHIVUM
S. CONGREGATIONIS
DE RELIGIOSIS

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MDCCCXI

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

MOTU PROPRIO.

SACERDOTES ARNOLDUS HARRIS MATHEW
HERBERTUS IGNATIUS BEALE ET ARTHURUS GUILELMUS HOWARTH
NOMINATIM EXCOMMUNICANTUR.

Gravi iamdiu scandalo, maximo animi moerore, vobis esse novimus sacerdotes HERBERT ÜM IGNATIUM BEALE et ARTHURUM GUILELMUM HOWARTH e clero Nottinghamensi qui, quae sua sunt non quae Iesu Christi quaerentes et aestu ambitionis abrepti, postquam penes acatholicos homines Episcopatus honore augeri non semel pertentaverint, eo temeritatis novissime progressi sunt ut, voti compotes facti, Episcopalem consecrationem se recepisse Nobis arroganter nunciarint. Nec eorum nuncii authenticum defuit testimonium; nam qui sacrilegi huius facinoris princeps auctor fuit, pseudo-episcopus quidam ARNOLDUS HARRIS MATHEW,litteris tumoris plenis ad Nos datis, illud plane confirmare veritus non est. Qui quidem insuper Archiepiscopi Anglo-Catholici Londinensis titulum sibi arrogare non dubitavit.

Ad vos igitur, primum, Dilecti Filii, de quorum religiosa et devota erga Nos voluntate semper et illustria testimonia excepimus, animum et sollicitudinem Nostram convertentes, vehementer hortamur in Domino ut ab eorum fraudibus et insidiis sedulo caveatis.

Dein vero, ne muneri Nostro deesse videamur, Decessorum Nostrorum exemplis inhaerentes, praefatam consecrationem

illegitimam, sacrilegam atque omnino contra huius Sanctae Sedis mandata Sacrorumque Canonum sanctionem factam edicimus.

Supra nominatos, demum, sacerdotes ARNOLDUM HARRIS MATHEW, HERBERTUM IGNATIUM BEALE et ARTHURUM GUILELMUM HoWARTH, ceterosque omnes qui nefario ñuic crimini operam, consilium, consensum praebuerunt, auctoritate Omnipotentis Dei, excommunicamus, anathematizamus atque ab Ecclesiae communione segregatos ac prorsus schismaticos habendos et a Catholicis universis et praesertim a vobis vitandos esse praecipimus et solemniter declaramus.

Quam aerem quidem sed omnino necessariam medicinam adhibentes, vos pariter, Dilecti Filii, adhortamur ut férvidas preces vestras Nostris adiiciatis, Deum obsecrantes ut hos infeHciter errantes ad Christi ovile et ad salutis portum misericorditer dignetur reducere.

Quod ut efficacius, Deo adiuvante, consequi possitis, Apostolicam benedictionem vobis ex animo impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xi Februarii MCMXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIVS PAPA X.

LITTERAE APOSTOLICAE

I.

FACULTAS ARCHISODALITATI A PERPETUA ADORATIONE DIOECESEOS LABACENSIS CONCEDITUR ALIAS EIUSDEM NOMINIS SODALITATES UBIQUE GENTIUM AGGREGANDI, EISQUE INDULGENTIAS IMPERTIENDI.

PIUS PP. **x.**

Ad perpetuam rei memoriam. — Nobis exponendum curavit supremus Moderator Archisodalitatis a Perpetua Adoratione, hoc pietatis et caritatis opus, quod rogatu Venerabilis Dei servi Francisci Iosephi Rudigier, Episcopi Linciensis, a fel. rec. Pio Papa IX Decessore Nostro